ENGELBERTUS ADMONTENSIS
Klosterneuburg, 1384 Seite 15r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



via

via. Ps. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Aug.
Iuxta viam insidiatorum scandalum ponere per-
mittitur ne per securitatem via deseratur. Sed
deserenti insidias incidere timeatur. ¶ Item
ego sum via ignorantiam auferens, veritas
errorem tollens, vita mortem excludens.
Unde notandum quod triplex est via. Est enim via
sine fine. Hec est lex legis. Est via ad finem
sed non in fine. Hec est fides sine operibus. Est
via in fine. Hec est ipse Xpc. i. gratia Xpi que fidem
facit per dilectionem operari. Unde in multis tytulis
psalmorum inscribitur. In fine. i. in Xpm
qui est via et finis. Unde Aug. de verbis domini. Xpc
dicitur patria et vita ad quam imus. Xpus homo est via
qua imus. Xpc dicitur homo est veritas per quam pervenimus.
¶ In prima via ambulant iudei qui in ipsa
lege Xpm qui est finis legis nec querunt nec
inveniunt. Ps. Deduxit eos in invio et non
in via. Unde Aug. de verbis domini. xxxix. Stu-
dia tua contraria sunt si ambulare vis et
pervenire non vis etc. Unde necesse est quod in infini-
tum ambulent et semper errent. Ps. in circu-
itu impii ambulent. Et hoc ideo quia Xpm qui est
finis legis non habent. In secunda via ambulant
mali christiani qui per solam fidem sine operibus
Xpm querunt. Sed quia non recte querunt non inveni-
unt nec pervenient. Prov. ij. Querunt me
mali et non invenient. Ys. lviij. Me etenim
de die in diem querunt quasi gens que fecerit
iusticiam etc. In tercia via ambulant electi
et perfecti qui Xpm per Xpm querunt et per Xpm
ad ipsum veniunt. Ipse enim est via et terminus
quia ad ipsum nemo venit nisi per ipsum. Unde ipse
est vie huius principium et medium et finis. Scilicet
via ducens incipientes, veritas dirigens
proficientes, vita suscipiens et conservans

pervenientes. ¶ Qui ambulant etc. Nota
quod in via legis domini scilicet fidei et evangelii inveni-
untur alii ambulantes, alii stantes, alii re-
trocedentes, alii declinantes. ¶ Ambu-
lantes sunt qui in ipsa via semper proficiunt. Ps.
Ibunt de virtute in virtutem. Unde Joh. xij. Am-
bulate dum lucem habetis etc. Lucem scilicet predicationis
et diem vite presentis. Stantes sunt qui a via
numquam recedunt. Jeremie vj. State super vias
vestras etc. Et intelligitur ista statio non cessatio
proficiendi sed propositum numquam recedendi. Ps.
Non recessit retro cor nostrum etc. ¶ Retroce-
dentes sunt qui ad posteriora redeunt. i.
Pet. ij. Melius erat eis viam domini non ag-
noscere quam post agnitam retrorsum. ¶ Decli-
nantes sunt qui a via recedunt et ad de-
via se convertunt. Exo. xxxij. Peccavit populus
tuus cito recesserunt a via quam ostendisti
eis. Notandum autem quod ambulantium predictorum
in vita presenti quidam sunt penitus extra viam
sicut infideles, quidam simpliciter in via sicut
fideles boni, quidam secus viam sicut fideles
mali qui significantur per cecum qui sedebat
secus viam. Luc. xviij. Unde Aug. de verbis
domini. xviij. Qui iuxta viam sunt ille cecus
hii sunt qui labiis honorant deum, cor autem
ipsorum longe est ab eo. ¶ Ambulatio
autem tria includit et tria excludit. Primo
enim includit a prioribus recessum ad futura
accessum et in medio etiamnum et cottidia-
num profectum. Nam quantum in ambulando
a prioribus recedere tantum ad futura accedere. Quod
necesse est ambulantibus in via dei. Philip.
iij. Qui retro sunt obliviscens in anteri-
ora me extendo etc. Et bene quia inter defectum
et profectum hominis in virtutibus nichil est medium